

dulcedinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. — Expressa.

LECTIO VIJ.

Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem: Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vinculum caritátis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédatur, credatur, incorporéatur, ut vivificéatur. Non abhóreat a compáge membrórum, non sit putre membrum quod reseccari mereáur, non sit distórtum, de quo erubescáur. Sit pulcrum, sit aptum, sit sanum: hæreat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cœlo.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœlestia regna pervé-

nit. *V.* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

LECTIO IJ.

Ne autem putárent sic in isto cibo et potu promítti vitam ætérnam, ut qui eum súmerent, jam nec córpore moreréntur; huic cogitatióni dignátus est occurrere. Nam cum dixisset: Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam; continuo subjécit: Et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Ut hábeat ínterim secúndum spíritum vitam ætérnam in réquie, quæ sanctorum spíritus súscipit: quod autem ad corpus áttinet, nec caro ejus vita ætérna fraudéur, sed in resurrectione mortuórum novíssimo die.

Te Deum. 19.

Ad Bened. Añã. Inveni quem diligit ánima mea: tenui eum, nec dimíttam.

IN II. VESPERIS.

Hymn. ut in j. Vesp. [451]

V. Justus ut palma.

Ad Magnif. Añã. Confúsi sunt qui me persequébántur: quóniam sacra mystéria et ánima meam erí-

puit Dóminus e má nibus eórum.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. Leonardi a Portu
Mauritio

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in obstinátis peccatórum córdibus ad pœniténtiam flecténdis beátum Leonárdum Confessórem tuum ópere ac sermóne poténtem effecísti: da quæsumus, ut per ejus preces et mérita e córdibus nostris contritiónis lácrymas elicere valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petri Episc. et Mart. 637.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

LECTIO III.

Leonárdus in Portu Mauritio ad ora Ligústica Itáliæ ortus est paréntibus pietate egrégiis pótius quam genere claris; qui púerum animam sortítum bonam, divinam favénte grátia, in timóre Dómini omni cura instituérunt. Mirándum erat eum in templo vel

domi vidére et audíre, sive férvidas ad Deum effúndere preces, sive hortári coætáneos ad religiónis aliarúmque virtútum ópera exercénda. Adolésceus studiórum causa Romam missus ad instar novi síderis in Gregoriáno collégio tum litterárum ac scientiárum proféctu, tum potíssimum vitæ sanctitate effúlsit. Jam de virtúte in virtútem quotidie magis progrédiens, ut intímus Deo servíret ac proximórum utilitáti vacáret, de religiósio institúto amplecténdo cogitávit. Et licet pátruus pro víribus niteréur ut hunc nepótem appríme carum ab hujúsmodi consílio retráheret, ipse tamen, ejúsdem blandítiis minisque posthábitis, fratrum Minórum exalceatórum rigidióris observántiæ consórtiio cooptári obtínuít, eórum præsertim modéstia captus, ac extréma paupertáte.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem ætérnam. *V.* Justum dedúxit Dóminus per vias

rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

A Primo tirocinio, et quoad in eo superfuit vitæ anhelitus, nil habuit antiquius, quam ut Seraphici patris exempla perfectissime imitaretur, præsertim cum vix ac clericus effectus, desiderio incensus fuit migrandi in barbaras terras, ut sanguinem suum profunderet ad infidelium animas Christo lucrandas Verum diuinæ providentiæ consiliis animum componens suum, disciplinas theologicas sedulo excollere satégit, ut ad omne opus bonum instructus foret. Sacris deinde ordinibus initiatus, ac sacerdotali caractere insignitus, protinus in cultissimis etiam Italiæ urbibus Evangelii præconis munere fungi cœpit. Apostolicam vivendi formam secutus, unicam habens tunicam atque abjectis calceis, quamvis tenuisset corpusculo, tamen periculis, difficultatibus, asperitatibus laboribusque haud fractum se unquam sensit. Sic reliquam vitam per annos quatuor supra quadragin-

ta strenue impendit, cum ingenti ubique animarum lucro et religionis incremento.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum : stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loriam fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vij.

Immensa porro fuit populorum ad eum audiendum frequentia, et innumerabiles conversiones inde subsequutæ. Ipsa enim saxea ac færea corda, eo audito, vehementer scindebantur ad pœnitentiam tum ob miram sermonis efficaciam, ac ardentissimum loquentis zelum, tum præsertim ob præclaram ejus vitæ sanctimoniam, quæ suavissimum Christi odorem ubique efflabat. Sænio tandem ac innumeris laboribus consumptus, cum summo Pontifici Benedicto decimo quarto fidem dedisset nullibi se nisi Romæ moriturum, in aliam hanc Urbem rediense Bononiensi missione, morbo tentari cœpit, quo sibi brevi dedendum esse palam edixit. Cum igitur sancti Bona-

venturæ cœnobium ingressus esset, illico Ecclesiæ sacramentis muniri voluit, quibus admirabili fervore, atque inexplicabili animi gaudio suscipit, placidissime in Domini osculo quievit. Leonardi obitum plurima secuta sunt prodigia, quibus rite probatis, a Pio sexto Pontifice maximo idem inter Beatos cœlites annumeratus est. Novis deinde fulgentem signis, tandem Pius nonus Pontifex maximus præclarissimum hunc verbi Dei præconem Sanctorum catalogo accensuit.

R. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.**Cap. x.**

In illo tempore : Designavit Dominus et alios septuaginta duos. Et misit illos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua. Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia xvij. in Evang.

Dominus et Salvator noster, fratres carissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando

vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus, præcepta sunt : quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in prædicationem discipulos mittit : quia duo sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor, et proximi : et minus, quam inter duos, caritas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur : sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse intercedat.

Lectio vij.

Ecce enim binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit; quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem

suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur : quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt : atque per hoc veritas in mente suscipitur.

✠. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. *V.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. *Gloria.* Et vos. *Lectio ix. simplicis. 639.* *Alias :*

Lectio ix.

Hinc namque eisdem prædicatoribus Isaías dicit : Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc filius Psalmista ait : Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit : quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit;

quia mortem quam per tulit, resurgendo calcavit. Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens, per amoris sui præsentiam illustret.

Te Deum laudamus. 19.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.
Manifestationis Immaculatæ Virginis Mariæ a Sacro Numismate.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ut in j. Vesp. Officii votivi Immac. Concept. [332]

V. Signum magnum apparuit in cælo. ✠. Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus.

Ad Magnif. Aña. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innumeris miraculis clarèscere voluisti : concede; ut ejusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur æterna. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitator. Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebrémus : * Christum ejus Filium adorémus Dominum.

Ps. Venite, exsultemus. 2.

Hymnus.

Tutelæ præsens omnium,

Salveto Mater Numinis;
Intacta in Hevæ filiis,
Tu fœda mundes pectora.
Numisma quos ornatuum,

Fove benigno lumine;
Virtus sit inter proelia
Ægisque in hostes præpotens.

Sit flentibus solatium,
Ægris levamen artubus;
In mortis hora, fulgidæ
Æternitatis sponsio.

Jesu, tuam qui finiens
Matrem dedisti servulis,
Precante Matre, filii
Largire cœli gaudia.

Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra, quia in Virgine Maria dignum tibi habitaculum præparasti.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V. per Annum. [194]

Aña. In sole posuit Deus tabernaculum suum.

Aña. In Conceptione sua accepit Maria benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

V. Qui me invenerit inveniet vitam. ✠. Et hauriet salutem a Domino. De Apocalypsi beati Joannis Apostoli.

*Lectio j.**Cap. xij.*

Signum magnum apparuit in cælo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim : et in útero habens, clamabat parturiens, et cruciabat ut pariat. Et visum est aliud signum in cælo : et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem; et in capitibus ejus diademata septem : et cauda ejus trahébat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus; et mulier fugit in solitudinem, ubi habé-

bat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

R. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt. * Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. **V.** Eripuit Dominus animam tuam de morte, et contra inimicum factus est protector tuus. — Ne.

Lectio ij.

ET factum est proelium magnum in celo : Michael et Angeli ejus preliabantur cum dracōne, et draco pugnabat, et angeli ejus : et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in celo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem : et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in celo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi

vicērunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimoni sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætāmini cœli, et qui habitatis in eis. Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

R. Transite ad me omnes qui concupiscitis me : * Et narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ. **V.** Vivit Dominus, quoniam adimplevit in me misericordiam suam. — Et.

Lectio iij.

ET postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum; et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Et adjuvit terra mulierem; et aperuit terra os suum, et absorbit flumen, quod misit draco de ore suo. Et

iratus est draco in mulierem : et abiit facere proelium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi. Et stetit supra arenam maris.

R. Elēcta mea cāndida sicut nix in Líbano; sicut favus distillans labia ejus : * Mel et lac sub lingua illius. **V.** Veni de Líbano sponsa mea, veni coronaberis corona gratiarum. — Mel. **Gloria Patri.** Mel.

In II. Nocturno.

Añā. Diffusa est gratia in Conceptione ejus, et speciosa apparuit inter filias hominum.

Añā. Adjuvit eam Deus mane diluculo; sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Añā. Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei; fundavit te Dominus in montibus sanctis.

V. Melior est fructus meus auro. **R.** Et gemina mea argento electo.

Lectio iij.

Mno Christi millésimo octingentésimo trigésimo, quod legitima testantur monumenta, beatissima Dei Mater sanctimoniáli

cuīdam feminae, Catharinæ Labouré nuncupatæ, e familia Puellarum Caritatis sancti Vincēntii a Paulo, sese videndam exhibuit; eamdēque jussit curare ut Numisma in honorem Immaculatæ Conceptionis suæ cuderetur. Cudēdi autem ea lex erat ex visu, ut in adversa fronte Deiparæ prostaret effigies, virgineo quidem pede serpentis proterens caput, manibus vero patulis subiectum terræ orbem radiis illustrans; inscripta circum circa ea prece : O Maria concepta sine peccato, ores pro nobis qui ad te confugimus. Inesse autem in fronte aversa sacrosanctum Mariæ nomen debbat, eminente supra crucis signo, binis inferius adjectis cordibus, altero obsito spinis, altero ense transfosso. Jubenti Virgini paruit puella; remque divinitus acceptam eventus comprobavit. Vix enim novum Numisma in vulgus prodiit, illico a christifidelibus, uti religio Matri sanctissimæ pergrata, coli certatim ac gestari ceptum; in Gallia primum, mox, probanti-

bus Episcopis, ubique terrarum. Cujus augescētis in dies reverētiæ ac fiduciæ id causa fuit, quod a Virgine respiciēte plurima patrabāntur mira seu corporis ærumnis levādis, seu animis e vitiorum cœno eruēdis.

✠. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogēnita ante omnem creaturam : ego feci in cœlis ut orirētur lumen indeficiens. Nondum erant abyssi, et ego jam concēpta eram.
✠. Deus enim creāvit me in justitia, et apprehēdit manum meam, et servāvit me. — Nondum erant.

Lectio v.

IN his illud præ ceteris memorātu dignum, quod Alphōso Ratisbōne Romæ cōtingit décimo tertio Kalēdas Februārii anno millésimo octingētésimo quadragésimo secūdo, legítimo ecclesiasticæ auctoritātis testimonio comprobātum. Argentorāti judaicis ortus parēntibus, in Oriētem iter faciēns Alphōsus Romæ substiterat. Ubi quum amicitiam cum nōbili viro, ex hæresi ad catholica sacra convērso, junxisset; is, adolescētis miserātus

vicem, omni ope contēdit ut illum ad veram Christi religiōnem tradūceret. Nihil tamen verbis profectum; unum hoc im Petrātum, ut hebræus homo sacrum Deiparæ Numisma e collo pendens defēret. Preces interim pro eo ad Virginem Immaculātam adhibebāntur. Nec diu Virgo exorāta auxiliū confēre distulit. Nam, quum Alphōsus templum sancti Andrēæ in vico nemorēsi, vulgo *delle Fratte*, fortūitu sub meridiem esset ingressus, repēte illi ædes obscurāri visa, una excēpta Archāngeli Michaēlis cella, unde vividiōr contra lux emicābat. Eo dum, horrōre corrēptus, advētit ōculos, ecce illi beāta Virgo Mariā conspiciēdam se præbet vultu mitissimo, eoque hābitu quo in sacro Numismate refērtur. Cœlesti visu subito immutāri Alphōsus; tum lacrimis perfūsus judaicam abhorrere perfidiam, et catholicam religiōnem, quam paulo ante detestabātur, veram profiteri totōque pectore amplēcti. Christiāna dōgmata edōctus, paucis post diēbus,

commūni Urbis lætitia, sacro baptisinate lustrātus est.

✠. Nihil inquinātum in eam incūrrit: * Candor est lucis æternæ et spēculum sine macula. ✠. Est enim hæc speciōsior sole, et luci comparāta invenitur purior. — Candor est.

Lectio vj.

TAntæ igitur pientissimæ Matris per sacrum Numisma potētiæ ac liberalitatis ut memoriā recoleretur, simulque christianarum gentium erga Immaculātam ejusdem Virginis Conceptionem religiō ampliōres haberet auctus, cēnsuit Apostolica Sedes, quod dudum ab ea pro sacratissimo Rosario et carmelitico Scapulāri concēssum fuerat, Manifestationem hanc sanctissimæ Dei Parēntis et sacrum ipsius Numisma peculiāri festo quotānnis commemorānda. Quamōbrem, tota factorum serie a Sacra Rituū Congregatione recōgnita matureque perpēnsa, ex ejusdem Congregationis consulto Leo decimus tertius Pōntifex māximus societati Presbyterōrum sancti Vincēntii a Paulo, quibus

ex sancti Auctōris lege solēmnē semper fuit illābem Mariæ originem profiteri et colere, Manifestationis ejusdem beātæ Virginis Officiū et Missam celebrāre concēssit, idēmq̄ indūltum ad singulos Episcopos ac Religiosorum familias petētes extēdit.

✠. Signum magnum apparuit in cœlo : Mūlier amicta sole, et luna sub pēdibus ejus : * Et in cāpite ejus corōna stellarum duōdecim. ✠. Induit eam Dōminus vestimētis salūtis, indumēto justitiæ, et quasi sponsam ornāvit eam monilibus suis. — Et. Glōria Patri. Et.

In III. Nocturno.

Añā. Sanctimōnia et magnificētia in Conceptione ejus; annuntiāte in omnibus pōpulis glōriam ejus.

Añā. Lætāmini omnes in Dōmino : et confitēmini memoriæ sanctitatis ejus.

Añā. Notum fecit Dōminus opus suum : in conspectu gentium revelāvit glōriam Genitricis suæ.

✠. Esto mihi in domum refūgii. ✠. Ut salvum me faciās.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. **Cap. ij.**

IN illo tempore : Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Dom. I. p. Epiph. Serm. j.



Inum non habent. Compassa est Maria eorum verecundia, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid, inquam, mirum si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam et ante mentem replavit, quam ventrem, et cum processit ex utero, ab anima non recessit. Durior fortasse et austerior videri posset responsio Domini; sed noverat ille, cui loqueretur; et quis loqueretur illa non ignorabat.

Dénique ut scias, quomodo responsum ipsum accéperit, aut quantum de Filii benignitate præsumpserit, ait ministris: Quæcúmque præcéperit vobis, serváte et fácite.

R. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus : * Emissiones tuæ paradisus, o María. **V.** Aperi mihi, soror mea, amica mea, colúmba mea, immaculáta mea. — Emissiones tuæ.

Lectio viij. **Ibid. Serm. ij.**

Quid mihi et tibi est mulier. Quid tibi et illi est, Domine? Nonne quod filio et matri? Quid ad illam pertines quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris ejus immaculati? Nonne ipsa est, quæ salvo pudore concepit et sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cuius útero novem mensibus moratus es, cujus virginis ubéribus lactatus es, cum qua jam duodecim annorum factus de Jerúsalem descendisti, et eras subditus illi? Nunc ergo, Domine, quid moléstus es illi, dicens : Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifeste

jam vídeo, quod non velut indignans aut confundere volens Virginis Matristeneram verecundiam, dixeris : Quid mihi et tibi? Cum, venientibus ad te juxta Matris præceptum ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit.

R. Magnificatánima mea Dóminum : * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatiões. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Serm. de duod. prærog.

Quid ergo ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austérum in ea, nihil terribile : tota suavis est, omnibus offerens lac et lannam. Revólve diligentius evangélicæ históriæ sériem univérsam et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod denique signum vel ténuis indignationis occurrerit in María, de cétero suspéctam hábeas, et accedere vereáris. Quod si (ut vere sunt) plena magis ómnia pietatis et grátia, plena mansuetúdinis et misericórdia, quæ ad eam pér-

tinent invéneris, age grátias ei, qui talem tibi mediátricem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil potest esse suspéctum; quæ ómnibus misericórdia sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsti, captívus redemptiõnem, æger curatiõnem, tristis consolatiõnem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscondat a calóre ejus.

Te Deum. 19.

AD LAUDES,
et per Horas.

Omnia dicuntur ut in Officio votivo de Immac. Concept. [339] præter sequentia.

V. O María, sine labe origináli concépta. **R.** Intercede pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Bened. Aña. Pósuit in ea verba signórum suórum et prodigiórum suórum in terra.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innúmeris miraculis claréscere voluisti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implo-

cri sociális belli advérsus Turcas, pontificiæ legationis consiliário in Hungária defuncto suffectus fuit.


R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vj.

MArtíni quinti, Eugénii quarti, Nicolái quinti, Callísti tertii, Pii secúndi, Pauli item secúndi et Sixti quarti contra hæreticos Fraticéllos, Manichæos redivivos, Patárenos, Hussítas, Taborítas legationibus functus est. Quibus in expeditiónibus Itáliam univérsam non semel percucúrrit : Illyricum tertio, Pannóniam, Sarmátiam, Bohémiam, finitimásque provincias peragrávit. Tot autem itinera sine sáculo et pera, Apostolorum more pedibus confécit, ope divína únice fretus; quæ tum máxime pátuít, cum rejéctus a nauta Padum amnem, pállio super aquas instráto, cum sócio pertransiit. Dénique Neápoli, quo Sixti quarti jussu, instánte Ferdinándo rege,

proféctus erat, extrémó morbo corréptus, Ecclesiæ sacraméntis rite susceptis, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo sexto, ætátis octogésimo quinto, quarto Kaléndas Decémbris, spiritum Deo réddidit. Multis post óbitum miráculis cláruit, quibus rite cógntis, Urbánus octávus ejus Officium et Missam ab órdine fratrum Minórum et a clero Neápolis celebrári permísit, quæ Jacobum inter álios patrónos cooptáverat. Corpus ejus in aede sacra sanctæ Mariæ Novæ incorruptum adhuc et flexibile permanet. Quod cum Vincéntius Cardinális Ursinus, qui post Benedictus décimus tertius fuit, suis mánibus contrectáret, et Philíppo quinto Hispaniæ regi venerándum offéret, odórem suavíssimum exspirare compértum est. Idem vero Póntifex anno millésimo septingentésimo vigésimo sexto, Jacobum novis miráculis coruscántem, in Sanctórum número rétulit. **R.** Iste. [105]

In iij. Nocturno, Homil. Sancti Evangélii. de eodem Comm. j. loco. [108]



Præparatio ad Missam.

Indulg. unius anni pro recitatione præter illam quinque Psalmorum cum Versiculis et septem Orationibus annexis, Orationis S. Ambrosii singulis hebdomadæ diebus assignatæ.

(Leo PP. XIII. 20 Dec. 1884.)

Antiphona.



ME reminiscáris * Dómine delicta nostra, vel párentum nostrórum : neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Quæ Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Psalmus lxxiiij.

Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtutum : * concupiscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos

Altária tua Dómine virtutum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxiliium abs te : * ascensiones in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * videbitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtutum exáudi oratióem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster aspice Deus : * et respice in fáciem Christi tui :